

*In medio Altaris stans inclinatus, dicit ante Evangelium:*

Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetæ calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nunciare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Pronuncians titulum Evangelii et versus Crucem inclinatus, dicit:*

Jube, Domine, benedicere.

*et mox dicit benedictionem:*

Dominus sit in corde meo, et in labiis meis: ut digne, et competenter annunciem Evangelium suum, in nomine ✠ Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

*Et sic se signat signo Crucis.*

*Offerens Panem, dicit:*

Suscipe, clementissime Pater, hunc Panem sanctum, ut fiat Unigeniti tui Corpus, in nomine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

*Offerens Calicem, dicit:*

Suscipe, clementissime Pater, hunc Calicem, vinum aqua mixtum, ut fiat Unigeniti tui Sanguis, in nomine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus sancti. Amen.



## FORMULÆ CONSECRATIONIS

Qui pridie, quam pro nostra omniumque salute pateretur, *(accipit Hostiam, et elevat oculos)* accipiens panem, elevavit oculos ad cælos ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, *(Hostiam benedicit)* bene✠dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens ad eos: Accipite, et manducate ex hoc omnes.

HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

Simili modo postquam cœnatum est, *(accipit Calicem, et elevat oculos)* accipiens Calicem, elevavit oculos ad cælos ad te Deum Patrem suum omnipotentem: item tibi gratias agens, *(sinistra tenens Calicem, dextera signat super eum)* bene✠dixit, tradiditque discipulis suis, dicens ad eos: Accipite, et bibite ex eo omnes.

HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI: MYSTERIUM FIDEI: QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.

*Ostendens Calicem populo, dicit:*

Mandans quoque, et dicens ad eos: Hæc quotiescumque feceritis, in meam commemorationem facietis: mortem meam prædicabitis, resurrectionem meam annunciabitis, adventum meum sperabitis, donec iterum de cælis veniam ad vos.

Credo *(caput inclinat)* in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum *(caput inclinat)* Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cælis. *(genuflectitur)* ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE: ET HOMO FACTUS EST. *(surgit)* Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit ad cælos: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos, et mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum, et vivificantem. Qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre et Filio simul *(caput inclinat)* adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam ✠ venturi sæculi. *(seipsum signat)* Amen.

*Profunde inclinatus ante medium Altaris, dicit:* Placeat tibi, Deus, obsequium servitutis nostræ: et sacrificium, quod oculis tuæ divinæ majestatis indignus obtuli, sit tibi acceptabile, mihi que, et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.